DE TRANSLATIONE PII V.
PONTIFICIS MAXIMI,
è Vaticano in Exquilinum.

GVILIELMI BLANCI IVNIORIS,
SIXTI V. Cubicularij intimi

EPIGRAMMATA
AD EVNDEM

S. D. N. SIXTVM QVINTVM
PONT. OPT. MAX.

Mecœnatem ſuum.

I.

OSSA PII condis celebri dum, SIXTE, ſepulcro,
In lucem pietas prodit vt inde tua?
Mortuus en PIVS eſt, tumulo quem, SIXTE, recondis?
Sed nullo hæc pietas eſt moritura die.

II.

Magnanimus Princeps Obeliſcum tranſtulit olim,
Qui fixo tenuit Cæſaris oſſa globo.
Pontificis nunc oſſa PII ſanctiſſima transfert
Magnificum in tumulum, magnus vterque labor.
Suſtulit ille ingens Obeliſcus Cæſaris oſſa,
Oſſa PII terras ſuſtinuere graues.

Ergo Obelo maior P*IVS* *eſt*, S*IXTI* *&* *potentis*
Poſterior laus eſt laude priore prior.
Qui reliquos vicit, vicit ſe denique S*IXTVS*,
Victus et ipſe fuit, victor et ipſe fuit.

III.

H*IC olim iacuit naſcens de Virgine* C*HRISTVS*,
Nunc P*IVS hic etiam mortuus ecce iacet.*
Hæ cunæ, hic tumulus: tumulo cunabula quadrant,
Nam moriens, ſupero natus in Orbe P*IVS*.

IV.

N*ON ſolùm immenſo cumulaſti munere viuos,*
Mortuus afficitur munere, S*IXTE*, *tuo.*
Tam grato à Domino quid non ſperemus abundè,
Si tanto exſtinctos munere proſequitur?

V.

Q*VAE tibi,* S*IXTE*, P*IVS dederat, das munera ſeruis,*
Reddis et auctori munera capta ſuo.
Das, quæ non curas reddi, cum fœnore reddis,
Gratus et in ſeruos, gratus et in dominum.

VI.

S*IXTVS in Exquilijs dum circumſtante Senatu*
Tranſlato ſoluit debita iuſta P*IO*,
Et ſacros feretro adſpergit de more liquores,
En etiam adſpergit fletibus ora pijs?

Porrige

Porrige, Muſa, mihi phialam, dum colligo ſeruus,
Quæ Domini ex oculis mollibus vnda fluit.
Si cecini nuper, quas fornice duxit in Vrbem,
Quas oculis vndas ducit, et ipſe canam.

VII.

Quod facis ipſe alijs, nunquam tibi fecerit alter,
Si fieri poſsit, ne tibi fiat idem.
Sed quoniam id cunctis faciendum eſt, Roma precatur,
Serius vt fiant, quæ facienda tibi.

IN MARMOREAM PII V. STATVAM
ſepulcro impoſitam.

VIII.

Suſtulerat natura Pium: pia Roma dolebat:
Sed Romæ mira redditur arte Pius.
Tu, pia Roma, Pii ſpirantes adſpice vultus,
Adſpice, quàm ſimilis ſit Pius iſte Pio?
Vnica vox deſit. Velles audire loquentem?
Adſpice, compoſito geſtit vt ore loqui?
Verùm Sixtiaci attonitus ſplendore ſacelli
Obriget in marmor, mutus et ora premit.

EIVS-

EIVSDEM BLANCI EPIGRAMMA IN SVO DE AQVIS FELICIBVS LIBRO, ſi is denuò excudatur, reponendum.

MOIS aqua eſt olim Phario de nomine dicta,
Et Moſes ab aqua nomine nomen habet.
Sed FELIX alter Moſes, quam ducit in Vrbē,
FELICEM à proprio nomine dicit aquam.
Priſca nouis cedant: non ne hic præſtantior illo?
Ille ab aquis cepit nomen, hic indit aquis.

EIVSDEM BLANCI EPIGRAMMA IN SVO DE AQVIS FELICIBVS LIBRO, ſi is denuò excudatur, reponendum.

MOIS aqua eſt olim Phario de nomine dicta,
Et Moſes ab aqua nomine nomen habet.
Sed FELIX alter Moſes, quam ducit in Vrbē,
FELICEM à proprio nomine dicit aquam.
Priſca nouis cedant: non ne hic præſtantior illo?
Ille ab aquis cepit nomen, hic indit aquis.